

Bro 13823

n

DE CATALEPSI.



DISSERTATIO INAUGURALIS

PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARIA

UNIVERSITATE TURICENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XI. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXLI.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

IOANNES HENRICUS FREULER

HELVETO-SCAPHUSIENSIS.

TURICI

EX OFFICINA ZÜRCHERI ET FURRERI

1841.

9874


Prof. A. J. J. J.

Caran



Ἄλλος δ' ἐξ ἑτέρου σοφὸς
τό τε πάλαι τό τε νῦν.
οὐδὲ γὰρ ὅσσον ἀρρήτων
ἑπέων πύλας ἐξευρεῖν.

Bacchylides.



ONOMATOLOGIA.

Κατάληψις dicitur morbus a *καταλαμβάνεσθαι*, prehendi, *κάτοχος* seu *κατοχή* a *κατέχεσθαι*; *Catalepsis*, *Catalepsia*, *Comprehensio*, *Detentio*, Auctor. lat., *Aphonia* *Dioclis*, *Anauidia* *Antigenis* *Cleophant.*, *Domituriens* *vigilia* *Werlhofii*, *C ma vigil* *Wepferi*, *Congelatio* *Arabum*, *Starrsucht*, *Staunen* *Germ.*, *Catalepsie* *Gall.*, *Catalepsy*, *Trance*, *Angl.* *Verstyving*, *Belg.* —

Catalepsis morbus est, qui perraro invenitur, ita ut *Sennertus* putet, occurrere eum in praxi perpauca medicis, et *Tissot* fateatur, se in praxi sua copiosissima nonnullos affectus catalepticos quidem, non autem integrum morbum vidisse. *Josephus Frank*, cum annis 1802 et 1803 magnam Europae partem peragraret, inter multa millia aegrotorum ne unum quidem catalepticum reperibat. Nihilominus autem morbus passim occurrit, cujus rei argumento sunt illa multa exempla, quae a principibus medicorum commemorantur; *Henrico* ab *Heer* tamen assentiendum esse videtur, qui medico cuidam glorianti, se plus quam mille catalepticos vidisse, respondit: si verum dicis, te plus aegrotorum talium vidisse necesse est, quam fuerunt, ex quo morbi in homines illapsi sunt.

Morbus veteribus jam notus est; *Hippokrates* ¹⁾ enim exemplum commemorat, quod nonnulla symptomata ejus prae se fert, et *Galenus* ²⁾ de condiscipulo quodam catalepsi laboranti tradit. Postea medici aliarum gentium usque ad nostra tempora exempla commemorabant. Eum hodie quoque occurrere extra omnem dubitationem ponendum est; sic exempli causa proxima hieme filiam cognovi, quae omnia symptomata exhibuit, amicusque benignus mihi de exemplo perfectae catalepsiae nuper in nosocomio Bernensi oblato communicavit.

Veteres medici omnem operam sibi dederunt, ut causam proximam morbi explicarent; et quamquam imperfecta notitia physiologiae nervorum perspicere morbum non poterant, conatus tamen eorum laudabiliores sunt, quam, quod auctoribus nostrorum temporum placuit, ut, catalepsi in systemate locum quidem assignantes, adjicerent, proximam morbi causam ignotam esse. Physiologi nostri quoque, quod mihi permirum videtur, morbum intactum reliquerunt, dum et ex singulis ejus symptomatibus, et ex complexu eorum non minus quam ex aliis morbis nervorum systematis fructus certe physiologiae capi possunt.

SYMPTOMATOLOGIA.

Praemitto definitionem morbi a *Josepho Frank* datam, ut imaginem, qua plurimi auctorum omnium temporum usi sunt, proponam :

1) Lib. V. Epid. c. 12.

2) Prorrh. comm. T. II. 56. Lib. IV. de locis affectis.

»Est catalepsis subita sensuum motuumque feriatio,
 »aegro in eadem positione, in qua sub morbi ingressu
 »versabatur, consistente et ad omnes inflexiones reci-
 »piendas servandasque paratissimo, pulsu et respira-
 »tione perstantibus.«

Praeter hunc complexum symptomatum, quem plurimi auctorum ut essentiam morbi accipiunt, ita ut affectum, qui eum prorsus offert, catalepsiam perfectam nominent, dum statuunt catalepsiam imperfectam, deficiente aut minus conspecto alio vel alio symptomate, et alia symptomata commemorantur, quae cum laudatis aut conjuncta aut sui juris sunt, aut essentialia aut non essentialia. Maxima sunt haec:

Symptomata praecedentia: anxietas, stupor, somnolentia, ardor frontis, cephalaea, vertigo, oscitatio, Aura, dolores ventris, nuchae, vomitus.

Inter paroxysmum: immobilitas pupillarum, oculi patentes seu clausi, calor animalis comminuta, pulsus tardus, parvus, debilis, suppressio urinae, obstructio alvi, maxime autem inexcitabilitas.

Post paroxysmum: continuatio operum inchoatorum, per apyrexiam perfecta valetudo, aut diversa mala.

Nonnullis exemplis, quae e libris auctorum excerpti, quibusque satis fides est, symptomata laudata exponere libet.

Tissot ¹⁾ exemplum tradit, quod ipse lapidem lydium hujus morbi vocat: Jejunio solempni anni 1737

1) Abhandlung von den Nerven und ihren Krankheiten, übers. v. F. A. Weber. Königsb. u. Leipz. 1783.

mulier XLV a. nata a Vesula Besantium venit, ut maximi momenti causam ageret, e qua si cecidisset, in fastigium malorum, quae jam perpessa erat, pervenisset. Propter hanc rem aegrota multas curas animo volvebat, raroque domum suam relinquebat, nisi ut homines videret, quos ob causam suam adire necesse erat. Saepissime ecclesiam frequentabat ut oraret, ibique conspiciebatur procumbens deinceps ad omnia altaria, talique modo, ut omnium spectatorum oculos ad se converteret. Raro somno se dedit, nihil paene edebat, seu deficiente appetitu, seu ut pauperibus plus dare possit. Die, qua causa ejus judicari deberet, hoc affectu correpta est :

Inveniebatur mulier in sella sedens, immota, oculisque ad coelum versis, apertis, immobilibus, brachia attollens, et manu utraque compressa, ut ecstasica. Vultus ejus, autem tristis et pallidus, nunc serenior, jucundior quam ex consuetudine. Respiratio expedita, aequalis erat, pulsus mollis, tardus, satisque plenus, paene ut hominis tranquille dormitantis. Membra ejus flexilia et sine ulla resistantia moveri poterant in omnes situs, in quibus quoque permanserunt. Mento ejus depresso os hiabat; brachia situm acceptum retinebant, cum et pedibus sisteretur. Id maxime mirum fuit, corpus semper servare aequilibratam, quocumque modo deflexum sit. — Sine sensu esse videbatur; concutiebant, vellicabant eam, pedes ejus in foculum calidum ponebant, in aures clamabant, se causa victuram esse — nullum vitae signum.

Postquam affectus quatuor horas expleverat, ad se rediit, inscia omnium factorum. Secuta est perfecta valetudo.

Affectus horae tempore rediens mania finiit.

Sauwages exemplum simile narrat.

Unumquodque symptoma alicujus morbi tum demum momenti est, si mutatio coincidens in organismo noscitur. Qua notitia tandem instructus medicus symptomata in ordinem redigere, itemque prout prodeunt in conspectum, prout constanter vel inconstanter occurrunt in morbo proposito, prout saepe vel raro conspiciuntur in aliis morbis, pro relatione propiore vel remotiore ad locum affectum aestimare ea ex iisque morborum genera determinare debet. Quod ad catalepsin pertinet, id adhuc nondum peractum est. Est igitur opus meum, primum examinare symptomata, quorum complexus catalepsis auctorum est, tum nisus hoc examine symptomata essentialia enumerare, ut ex his causam proximam catalepseos constituere experiar.

Prodromi.

Auctores, qui de exemplis catalepseos tradunt, per pauca loquuntur de prodromis, quos paroxysmi sequuntur; nihilo minus in enchiridiis, paroxysmi cum vel sine prodromis fieri, et si adsint idem esse dicuntur, qui alios morbos nervorum praecedant: lassitudo, vertigo, dolores capitis, nuchae, nausea, gravis artuum mobilitas. Nolo quidem repugnare horum existentiae, tamen annotare libet, me nihil prodromorum in ulla historia perfectae catalepseos, contra tamen imperfectae et complicatae invenisse. Sic *Forestus* ¹⁾ in

1) *Observat. Lib. II. obs. 41. 42.*

aegroto quodam dolores occipitis praecessisse tradit; *Dolaeus*¹⁾ loquitur de Aura et oscitatione praecedente, de rubore faciei, ubi sine dubio nonnulla symptomata cataleptica conjuncta erant cum epilepsia, *De la Mettrie*²⁾ de vertigine, *Sauvages*³⁾ de ardore frontis, gravi capite, somnolentia, pulsu tardo. Inprimis exemplum perfectae fuisse videtur, quod *Jos. Frank*⁴⁾ exponit, et in quo de praecedente anxietate loquitur.

Multorum autem descriptione perspicui posse videtur, affectum subito et sine prodromis aegrotos corripuisse; pro qua opinione id certe commemorari potest, multos aegrotos in medio aliquo opere vel colloquio comprehensos esse, plurimosque paroxysmo peracto inscios ejus fuisse; quin etiam, ut ille pastor, de quo *Hirschel*⁵⁾, eum prima syllaba orationis dominicae pronunciata extemplo catalepsi correptum post paroxysmum secundam syllabam „ter“ excepisse narrat, finiunt vocabulum post affectum quod initio ejus inchoaverant. Alia res, quae stat pro opinione mea est subitus impetus aliorum leviorum catalepsiae similium affectuum. Essentia tandem ipsa morbi tertium dabit argumentum.

Symptomata paroxysmi.

Symptomata maxime insignia paroxysmi ipsius haec

- 1) Encyclop. dogm. med. lib. I. cap. 6.
- 2) Abrégé de la théorie clinique. pag. 278.
- 3) L. c.
- 4) Prax. med. univ. praecepta. Lips. 1818. P. II. vol. 1. Sect. 1. pag. 478 sqq.
- 5) Gedanken über die Starrsucht. Berlin, 1769.

sunt: Cessatio omnium sensorii actionum, quibuscum conjuncta est feriatio omnium sensuum motusque voluntarii. In hac re nititur nomen „κατάληψις“ a καταλαμβάνω, veteribus nempe putantibus in hoc morbo vinculo aliquo corporeo comprehendi sensorium commune. Omnes quoque auctores veterum nostrorumque temporum haec symptomata ut plane essentialia catalepseos statuerunt, ut ex quovis enchiridio medico perspici potest. Notio igitur physiologica ejus non alia esse videtur, quam temporaria cessatio omnium energematum partium centralium systematis nervorum, ut dicunt animalium. Talem statum nervorum in nullo alio morbo pari modo invenimus nisi fortasse in lipothymia, quae autem, ut infra videbimus, a catalepsi vere differt. In omnibus enim ceteris affectibus qui cessationem sensorii functionum afferunt, sine conscientia effectuum ejus unum vel alterum energema systematis nervorum superest, modoque abnormi plerumque modum transeunte agit. Permagni esset, varios morbos, qui hinc pertinent, comparare et classificationem naturae accommodatam facere, utilitate saltem relicta, ut physiologia et psychologia significationes quasdam ex hac re percipere possent. Necessesse est, ut singula symptomata examinemus.

Cessatio functionum sensorii perfecta est, ad o redacta sunt; cujus rei argumento sunt praeter multos alios *Boerhave* 1), *Van Swieten* 2), *De Haen* 3),

1) Aphorism. §. 1036 sqq.

2) Comment. Tom. III. §. 1036 sqq.

3) Praelect. in Boerhave institut. pathol. ed. Fr. de Wasserberg. Viennae, 1780. Tom. III. pag. 6.

Tissot 1), *Richter* 2). Aegroti paroxysmi toti inscii sunt, etiamsi per dies duraret, et cessatio omnium functionum sensorii tam perfecta est, ut aegroti, temporis, quod inter initium finemque paroxysmi jacet, nihil suspicantes, res ante paroxysmum susceptas continent, quin etiam vocabulum inchoatum post affectum pronuntient 3). *Tissot* igitur jure dicit 4): „si aegrotus post insultum narret, quae tempore ejus cogitaverit, concedere eum silentio fraudatorem esse.“

Sensibilitas quoque nervorum plane sublata est 5), sicut non aliter cogitari potest, functione sensorii sublata. Argumento sunt, si testes afferre necesse esset, ea quae auctores tradunt de experimentis parum mitibus partim quae in aegrotis faciebant ad statuenda haec symptomata. Deficiente autem sensibilitate conscia, inscia illa adesse posset, qualem maxime in dormitantibus videmus, quaeque animadverti potest, irritamento provocante motum involuntarium, quem dicunt reflexum. Sed et haec plane sublata est, ut

1) l. c.

2) spec. Therap. Berlin 1821. Bd. 8.

3) Hirschel, l. c. Stahl, praelect. pag. 10. Waldeck, diss. inaug. de catalepsi. Regimont. Pruss. 1834.

4) l. c. pag. 7.

5) *Fernelius*, pathol. Lib. V. 1. 2. *Jos. Frank*, l. c. *Lambecius*, Comment. bibl. Caesar. Tom. II. p. 688. *Reynell*, Phil. trans. Nro. 437. Auserl. Abhandl. von Leske. 2. Th. p. 307. *Richter*, l. c. *Sauvages*, mémoires de l'acad. R. des sciences, 1742. p. 409. *Schilling*, diss. Giess. 1776. *Schrödter*, diss. Traject. ad Rhen. 1692. *Tissot*, l. c. *Waldeck*, l. c. *Wedelius*, diss. sub nom. Schomburg. 1690. diss. de affectu soporis et catalepsi. Jen. 1708.

experimenta docent, quibus fortissimis irritamentis cutis, quin etiam cera signatoria calefacta adhibitis non ullus motus sequebatur.

Hic pertinet quoque illud maximi argumenti factum, ut bulbo oculi tacto vel puncto palpebrae apertae non clauderentur membranaque Schneideriana irritata sternutatio non fieret.

Pupilla immobilis est, lumineque ipso praetenso pluribus casibus nulla contractio sequebatur.

Membranam quoque mucosam intestinorum sine sensu esse, declarare videtur, quod *Sachse* ¹⁾ scribit, emeticum a virgine cataleptica haustum intra paroxysmi spatium nullum effectum habuisse, extemplo autem post eum frequentem vomitum factum esse.

Adjiciamus adnotationem, semel ²⁾ calorem animale comminutum inventum esse, dum quibuscunque in anaesthesiis comminutus esse dicitur. ³⁾

Praeter tactum ceteri quoque sensus omni energia carent. Auctores haec contendunt aut de omnibus aut de maxime insignibus certe sensibus, ut de visu et de auditu. ⁴⁾ Defectio animi ea quae dixi extra dubitationem ponit. Quare corrigendum est id, quod et in novissimis auctoribus scriptum legimus, auditum intactum vel etiam acriorem esse. Permutant enim cum catalepsi alium affectum, quo con-

1) *Horn's Archiv*, März 1829. S. 249.

2) *Schraff*, diss. de vera notione catalepsi. et rational. curat. Giessae, 1776.

3) *Romberg*, *Nervenkrankheiten*. Bd. I. Abth. 1. p. 206.

4) *Jos. Frank*, l. c. *Richter*, l. c. *Sachse*, l. c. *Sauvages*, l. c. *Waldeck*, l. c.

scientia sensusque restant, mobilitate tantum artuum per aliquod tempus sublata.

Symptomata catalepseos quae ad motum pertinent, sicut animos medicorum maxime advertebant, gravissima sunt ad cognoscendum morbum. Dum ea, quae adhuc nominata sunt, in aliis quoque morbis occurrunt, satisque explicari possunt cessatione functionum sensorii, symptomata hic prodeunt, qualia nullus alius morbus affert, quaeque vix ex iis, quae physiologia nervorum offert, explicari possunt; sunt haec: perseveratio corporis in eo statu, quem primo momento accedentis insultus habebat et flexibilitas cerea artuum, quam auctores dicunt. Explicemus primum leviora symptomata motus.

Neminem offendebat, quod respiratio et sanguinis circulatio permaneret, quum, deficientibus illis conditio adduceretur, quae minime ad morbos pertineret. Sunt hi duo effectus vis motoriae, qui sine voluntate, omninoque quiescente sensorio, quin etiam deficiente fiunt, ut ex experimentis cum ranis decapitatis factis et ex conditione acephalorum intelligi potest, qui respirabant per majus vel brevius temporis spatium, postquam nati erant, vel clamabant, et quorum circulatio sanguinis integra erat. Majoris est momenti, respirationem pluribus casibus per insultus tempus pari modo factam esse, quo extra eum, neque acceleratam nec retardatam, neque fortiolem neque magis debilem, non aliter ac in sano homine. 1) In iis quoque casibus integrae adsunt, ubi morbo organico ce-

1) Vide auctores saepe citatos.

reberi omnis motus voluntarius peribat, cujus generis casus *Ch. Bell*¹⁾ memorat. In aliis morbis deficiente conscientia plerumque permutatio respirationis invenitur.

Circulatio sanguinis, quatenus liquet ex pulsu cordis et arteriarum, in pluribus casibus non aliter erat inter paroxysmum, atque extra tempus ejus; in aliis autem paulum mutata erat. Sic loquitur *Tissot*²⁾ de pulsu molli, tardo, pleno, *Sauvages*³⁾ de tardo, debili, *Schraff*⁴⁾ de tardo, debili, parvo, *Reynell*⁵⁾ de debili, *Waldeck*⁶⁾ de parvo et tardo; *Jos. Frank*⁷⁾ semel observavit pulsum celerem, ubi autem propter suppurationem profusam febris hectica accederat. Tarditas debilitasque pulsus constantissima attributa esse videntur, quae facile explicari possunt ex excitante cerebri in nervos vasorum influentia, quae inficiari non potest.

De motu peristaltico intestinorum nihil invēni apud auctores; tamen paulum segniorem fieri videtur, quia nullo in paroxysmo, etiamsi 24 horas et supra duraret, alvus reddebatur. Argumento est quoque parva reactio stomachi in emeticum, qua de re supra diximus, et conditio puellae, de qua infra di-

1) *Unters. des Nervensyst. übers. von Romberg. Berl. 1834.*
pag. 334.

2) l. c.

3) l. c.

4) l. c.

5) l. c.

6) l. c.

7) l. c.

cemus, quae, omnia symptomata continuae cataleptoseos prae se ferens, alvum tardum, nisi medicamentis excitaretur, habebat.

Duo adhuc symptomata ad tractum cibarium pertinentia sunt, eadem deserta, in perfecta catalepsi autem observata: deglutitio ciborum ad fauces datorum et sphincter ani firmo clausus. Hoc symptoma, quod et obstabat, quominus tubulus clysteris applicaretur, non nisi *Richter* ¹⁾ et *De Haen* ²⁾ commemorant. Ego rem non gravem esse puto; facile enim fieri poterit, ut aegroti ante insultum clauserint eum; quo facto catalepsis ingrediens contractionem eodem gradu retinuerit. — Apud *Fernelium* ³⁾ de cataleptico quodam haec legimus: „quidquid in os inserebatur, prompte vorabat,“ dum omnia cetera cataleptisae symptomata aderant. Si per hoc intelligendum est, aegrotum quoque manducasse, ergo motum voluntarium peregissee, dubitandum esset de veritate observati, quum in omnibus casibus, quos comparavi, ne unum quidem ejusdem generis exemplum occurreret mihi. Si contra *Fernelius* dicere vult, deglutisse tantum cibaria aegrotum, symptoma caeteris magis conveniens invenimus. Hoc praesumpto, necesse erat, cibaria comminuta vel liquida fuisse, sicut aegrota, quam memorabo, talia tantum cibaria deglutinabat, solidis iisdem in cavo oris manentibus, dum ex eo eximerentur. Est autem deglutitio motus reflexus; qui sine dubio non in cerebro oritur, vel certe sine

1) l. c. 2) l. c.

3) *Pathol. lib. V. cap. 2.*

influentia ejus fieri potest, prout perspicitur ex integra deglutitione acephalorum et ex experimentis cum ranis decapitatis factis, quarum musculi pharyngis contrahebantur digito inserto. Cibaria autem sine dubio offerri debent musculis constrictoribus pharyngis. Quam sententiam confirmat puella supra memorata, cui si ancilla cibaria pulti similia dabat, caput ejus semper supinus deprimere solidioresque bolos in fauces inserere coacta erat.

Neque alvi nec urinae excretio in ullo casu observabatur, quae res mirum videri necesse erat veteribus medicis, involuntarias excretiones in morbis similibus comparantibus; hoc igitur symptoma vix in ullo casu praetereunt. Iam non offendit haec res, cum nulla alia ejus causa sit, quam media contractio sphincterum, qui ipsa relaxatione quae morte fit, contenta cavorum vix edunt.

Ejaculatio seminis non observata est.

Iam ad symptomata motus, quae maxime ad catalepsiam pertineant, transeamus.

Aeger illum statum corporis retinet, quem primo momento accedentis morbi habuit. Hoc symptoma necessario tum demum pretium habet, quum sciamus, sublatam esse voluntatis influentiam in musculos. Id, quod ad nostrum morbum pertinet, jam comprabasse putamus; tum necesse est, omnia membra uno ictu certo statu manere, et quidem non tali, qualem in quiete videmus, musculis oppositis in aequilibritatem constitutis; denique hunc statum per totum paroxysmum, quodcunque tempus durantem, talem esse necesse est, qualis erat ab initio, nisi vi externa mu-

tetur. Argumento sunt multa exempla. Van Swieten, „nuper, dicit,¹⁾ contigisse nobili aegro, qui domum medici, quem de suo morbo consulerat, egressurus, in ipso limine haesit per aliquot minuta horae catalepticus; dein soluto paroxysmo domum ambulavit, immemor sibi hoc contigisse.“ Aegrota, quem Tissot²⁾ memorat, saepe scilicet Deum orans, sella sedens visa est, oculis ad coelum versis, brachiis sublatis, manibus consertis. Mezler³⁾ de muliere enarrat, quae correpta est, quum conjugem oscularetur, isque ad paroxysmum solutum perseverare coactus est. Schrödter⁴⁾ patrem suum narrantem inducit: „cum Batavii vivens cum D. Vasallo, ejusdem loci practico, aegrotos, quibus praeerat, visitarem, offendimus uxorem cujusdam jaculatoris puerperam, XXV circiter annorum, catalepticam. Haec elapsa triduo a partu eniso mariti desiderio satisfacere cupiens, matrimonii debitum ipsi persolvit. Post actum matrimonialem mulier omnis sensus et motus expers in illo, quo prae-hensa fuit, corporis situ rigida mansit, oculis quidem apertis, nihil tamen videns, membra mota eundem, quo flectebantur, retinebant situm.“ Paroxysmus post 8 horas demum solutus est, et post eum omnium actorum ignara fuit.

Alius morbus notus simile symptoma non offert, in nonnullis tamen psychicis statibus aliqua observa-

1) Comment. §. 1037.

2) l. c.

3) Salzburg. med. chirurg. Zeitung. 1794. Bd. 1. p. 141.

4) l. c.

batur. Nihil aliud, quam leviores catalepsiæ gradus sunt, et hoc loco nominari possunt. Aut ex iisdem causis oriri hos status, quibus catalepsis vera, aut ipsos causas ejus fieri posse apparet. 1)

Levissima hujus generis conditio meditatione intensa occurrit, ubi saepe nullae sensuum impressiones percipiuntur, ita ut inter studia obscuratio solis non animadvertatur, horologii prope stantis sonor effugiat, et foedus odor vix suboleatur. Neminem fugit, acriter meditando eo perveniri posse, ut plane nihil cogitetur, itemque Socratis exemplum inter multa alia demonstrat, ut, si inter eundem fit, saepe involuntarie homines immoti stent immoque perseverent in situ minus commodo. Maxime meditationem de rebus sacris, quae animam imprimis movent, id efficere videtur, ut ex pluribus exemplis apparet. Sic *Fr. Hoffmann* 2) de tenera puella tradit, quae semper catalepsi opprimebatur, quoties de rebus sacris cogitaret, nec prius, nisi mutato loco sanata est, *Jos. Frank* 3) de puella, semper catalepsi correpta, quum nonem Jesu audivisset, et *Rondoletius* 4) de pastore toties a morbo oppresso, quoties verba „consummatum est“ ediceret. Insultus hi non nisi praetercuntes erant et, ut reverterentur, illam primam causam efficacem postulabant. — Ardentem quoque me-

1) Van Swieten: „Si talis affectus (terror) validissimus fuerit, manet haec impressio, et perfecta adest catalepsis.“

2) De affect. cataleps. rariss. Frf. 1692. med. rat. syst. lib. VI. p. 3.

3) l. c.

4) Meth. curand. omn. morb. Lyon. Lib. I. c. 20.

moriam hominis amati facile sequitur ille status, quod omnes poëtae fabularum bene sciunt eoque profituntur. Parem effectum habet cogitatio rei atrocis. —

Admonendum est hoc loco saepe eundem statum conspici in melancholia, cujus causam plerumque unica versatione in rebus sacris vel amatis vel horrendis habemus. Ideler ¹⁾ de miserandis his aegrotis pronuntiat: »Der Schmerz absorbirt jede Willens-
»äusserung, der Kranke fühlt kein körperliches Be-
»dürfniss; er würde verhungern, wenn man ihn nicht
»fütterte, er bewegt sich Tage lang nicht von der
»Stelle, sondern einer Bildsäule gleich regt er weder
»Arm noch Fuss, steht und sitzt mit gebückter Hal-
»tung oder kauert im Bette in einem Winkel zu-
»sammen. Man könnte ihn für kataleptisch halten,
»da er oft die Stellung lange beibehält, die man seinen
»Gliedern gibt, und sie erst langsam herabsinken
»lässt.«

Ex professionibus quidem reconvalescentium ex hoc morbo adfatim apparet, plerumque eos versatos esse in certa re; tamen non sine ratione ponam, illis ipsis temporibus, quibus haec symptomata adsint, paucas vel etiam nullas cogitationes fieri.

Admiratio rei subitae vel insolitae varias conditiones offert, quae pro majore vel minore vi plus vel minus de catalepsi admonent. Sensuum impressiones nullae percipiuntur, quin etiam ne ejus quidem qui ab initio tactus est, ut et vulgo dicitur: Hören und Sehen vergeht einem. Admirans enim vix novas

1) Grundr. der Seelenheilkunde. Bd. II. p. 603.

res vidit, neque audit vocatus, nec sentit foetissima quaeque, neque animadvertit leviter tactus, pedes ejus solo adhaerent, brachia eodem situ tenet, qui iis impetu involuntarie dabatur; vis animi quoque deficere videtur, neque enim postea scit, num aliquid vel quae cogitaverit. *Baumgärtner* ¹⁾ involuntariam hanc admirationem ipsam speciem catalepticos nominat, dicens: »Es gibt Personen, die mitten im Gespräch und der Beschäftigung von Anfällen befallen werden, in welchen das Gespräch plötzlich abgebrochen wird, die Augen einen staunenden Blick erhalten und grad hinaus starren und die Kranken, wenn sie gerade im Gehen begriffen sind, in der nämlichen Richtung unwillkürlich fortlaufen. Es sind die Kranken bei diesen Anfällen nicht bei klarem Bewusstsein, es geht aber der Anfall schnell vorüber, worauf sie dann in dem angefangenen Gespräch und ihrer Beschäftigung fortfahren.« Adnotatione dignum est, admirationem maxime ingenii viribus minus acribus et, quod jam vulgus novit, infantibus fieri, qui helminthiasi laborant.

Terror quoque subitus conditionem catalepticae similem efficere potest, de quo *Van Swieten* ²⁾: »summo terrore homo sic afficitur, ut in catalepsi, nam obstupescit, vox faucibus haeret, membra movere nequit. Veteres igitur, homines capite Medusae conspecto lapides factos esse dicebant.«

1) Handb. der spec. Krankheits- und Heilungslehre. Stuttg. 1835. Bd. II., p. 699.

2) l. c. III. 316.

In nonnullis etiam mortis generibus membra eundem situm retinent, quem habuerunt, quum caussa vitam extinguens in corpus influeret. Sic maxime apud fulmine ictos, ad quem locum citare libet, quae *Cardanus* de octo messoribus tradit, qui sub ilice sedentes inter vescendum fulmine isti atque occisi sunt. Ibi eodem situ manserunt, quo sederant, ita ut alius vesci, alius poculum ad os adferre, alius bibere videretur. Mors quoque carbonum fumo illata his signis cognosci posse fertur.

In hac musculorum conditione duo quoque mimica symptomata nituntur, quibus auctores magnum pretium statuebant. Primum illud est, vultus neque insultu incedente, nec intra tempus ejus permutatos esse ¹⁾. Narrant hoc exemplum:

Puella quinque annorum graviter indignata, quod soror major natu escam, quam ipsa flagitabat, sibi sumpsisset, subito catalepsi correpta est. Manus in lancem porrecta eodem situ permanebat, vultu irascente in sororem oculos conjiciens, et nihil audivit, quamquam alta voce vocata etc. etc.

Oculi autem aperti ²⁾ maxime ex insultu incedente oriuntur, cum animus alacer sit.

Priusquam de hoc catalepseos symptomate dicamus, *flexibilitatem ceream* artuum quam dicunt com-

1) Richter, Tissot, l. cit., Verhandl. der kais. Akad.

2) Jos. Franck, Lambecius, Rondolet, Sachse, Schenk, Schrödter, Tissot, l. citt. Tulpius, diss. de catal. Helmst. 1660. Observat. med. Lib. I., Waldeck, Wedelius.

memoremus, quae ex eadem causa, qua illud prius, oriri videtur.

Intelligunt auctores flexibilitatem ceream artuum eum statum musculorum eorumque nervorum, quo, motu membri extrinsecus facto, musculi voluntate influente illum efficientes contrahuntur, eaque contractione situm, quem dabant, membri retinent. In sano scilicet homine musculi respectivi, quum situs membri alicujus vi externa mutetur, pari quoque modo contrahuntur, breviores saltem durioresque fiunt — quatenus voluntas influat, certo difficile est discretu. Simulac autem cessat vis externa, flexores quoque et extensores aequilibratam servare incipiunt, membrumque eum situm accipit, quem semper habet voluntate non influente. Prorsus aliter in cataleptico. Si membri alicujus situs vi externa permutatur, musculi respectivi quoque contrahuntur; quam rem jam observavit *Van Swieten* maxime in musculo deltoideo humero levato. Saepe occasio mihi erat sentire in melancholica saepe nominata, ut in quavis motione membri alicujus respectivi musculi turgebant lentiusque vel velocius pro celeritate motus facti breviores et duriores reddebantur. Antagonistis autem prorsus nulla est vis; musculi contracti in contractione perseverant membrumque tamdiu eodem situ permanent, dum extrinsecus mutatur vel insultus solvitur. Contractio igitur musculorum causa prima est, cur membra in eodem situ permanent. Quod symptoma tantummodo in catalepsi occurrit; nam et in melancholia attonita aegroti membrum levatum demittitur. Facile est intellectu, in iis conditionibus, quibus sine

intentione voluntatis aliquis situs retinetur, e. c. post terrorem injectum, flexibilitatem ceream quoque ad futuram esse; deficientibus tamen factis, et propter difficilius experimentum pro certo haberi non potest. In typhosis quidem simile symptoma occurrit, maxime in lingua; exsertam enim non retrahunt, obliterati ut vulgo dicitur. Nemo medicorum tradit, num corpus datos situs quoque retineat, legibus aequilibratae non observatis, *Sachse* 1) excepto, dicente, membra aegrotae suae flexa in sitibus maxime praeter naturam permansisse.

Frustra apud principes auctorum physiologiae explicationem horum duorum symptomatum perscrutamur; veteres prout morbum cognoverant, alius alio modo explicabant; recentiores vero morbum inter spasmos ponebant, unde symptomata deducebant, obliterati, adesse in spasmo semper hyperkynesin et rigiditatem musculorum afflictorum. Postremo in illo commodo verbo acquiescebant: nescimus. Nonnulla hic adjiciam, experiens saltem, ut speciem physiologicam indagem. Num ad aliquid certi pervenerim, alia est res.

Vidimus insultum catalepticum subito incedere et mox videbimus, pari modo solvi; vidimus quoque in levioribus conditionibus catalepseos similibus plerumque eas subita causa fieri. Hac re catalepsis ab aliis morbis discernitur, in quibus animi vires deficient, et semper prodromi inveniuntur; quod non minoris momenti sit. Musculorum sensus subita con-

1) l. c.

scientiae cessatione pari modo deficere necesse est, dum subita sublatio voluntatis in musculos influentis sicut nervo dissecto copiam adhuc agentis; quod Tonum appellabant, relinquit. Medulla spinalis eadem de caussa pro functionibus suis centralibus integra permanet. In paroxysmo igitur musculus forte contractus Tono suo in contractione permanet, eundemque situm retinet, quum voluntas nullam mutationem efficiat nec situs percipiatur, qua re fatigatio adesse non potest. Situ autem permutato, contractio musculorum antagonistorum sine dubio mechanice facta incedit, et quum conditiones eadem sint, contractionem quoque retinent, et ita situm membro datum servant. Ex casibus autem notis cognosci non potest, num hae conditiones finem habeant, paroxysmo non soluto.

Solutio paroxysmi itidem subita est, ut ingressus ejus. Auctores quidem hic quoque symptomata adferunt, ut respirationem altam, oscitationem, membrorum tensionem, borborygmos, sudorem. In tribus tantum exemplis aliquid hujus generis prolatum inveni. *Sauvages* 1) tradit aegrotam suam, cujus paroxysmi sine dubio naturali magnetismo mixti erant, oscitasse membraque extendisse. Alio loco casus est, in quo membra antea flexibilia, quum finis paroxysmi incederet, inflexibilia facta sunt; aderant quoque borborygmi ventris sudorque. Symptoma peculiare *Sachse* narrat; priusquam enim aegrota mentis compos facta est, primum fiebat murmur ventris, tensio membrorum, levis ejulatio, tensio pedum cum cre-

1) l. c.

pitatione articularum, rotatio trunci, tum celer tensio et crepitatio articularum manus, cubiti et humeri. — Inter critica partim haec symptomata poni possunt, quum omnia in casibus datis necessaria fuisse videantur, ut integritatem functionum organicarum restituant. Quare non nisi casui singulo pretium habent, praesertim quum plerumque non adnotentur ab auctoribus.

Catalepsis ut plurimi nervorum morbi paroxysmis incedit ¹⁾; qui reiterari possunt, sine causa denuo vim exercente; quin etiam ad notionem morbi pertinet, ut causa occasionalis eum statum systematis nervorum efficiat, quo paroxysmi postea porro incendant. Continuum quoque et tum plus vel minus remittentem offerri videtur. *Deidier* ²⁾ nonnullos hujus generis casus descripsisse dicitur; mihi enim non copia erat adeundi librum ejus. Berolini autem in nosocomia caritatis videndi mihi occasio oblata est casum, qui summo jure catalepsis continua appellari potest. Aegrotam filia erat, circiter XXI annos nata, media statura, habitu femineo; facies ejus vestigia vultuum pulchrorum prae se tulit. Conditio, in qua eam inveni, continuas paene octodecim menses, paucis remissionibus, perduraverat, omniaque catalepseos symptomata exhibuit, quae jam explicavi. Tamen adnotare libet, aegrotam vix vocem ne in momentis lucidioribus quidem, nedum verbum ejecisse, neque preces, nec imperia in eam valuisse, ut oculos suos

1) Cf. auctores supra citatos.

2) *Traité des tumeurs contre-nature.* Paris 1738.

omnis vitae expertes moveret. Impressiones sensuum sensorium non tangere videntur. Flexibilitas cerea perfecta adest. Nulla re eget: urinam et alvum involuntarie reddit, et in his sordibus jaceret, nisi ancilla nonnunquam eas tolleret; fame quoque sitique periret nisi pasceretur eique bibere daretur. Nunquam dormire videtur; oculi certe aperti manent, nisi alius eos claudit. Macies aegrotae miserandae ad summum pervenit, praeterque vultus mortis similes et rigidos pictori occasionem ad depingendam larvam dedisset. Quod ad aetiologiam morbi pertinet, id tantum cognosci potuit, eam probabiliter infelici amore qui apud feminas saepissime est causa melancholiae, valde proclivem ad tristitiam factam esse, de qua nemini quidem rationem dedit, tandemque in eum statum incidit, quo eam videbam. Difficile discernere videretur, utrum hoc casu omnes animi vires quieverint, an aegrotata uni cogitationi intenta, alias omnes suppresserit. Aegrotata, si sanetur, ipsa statum suum explicare poterit.

Paroxysmi varie durant, et in uno eodemque aegrotato. Sic *Behrends* ¹⁾ casum observabat, quo primus insultus XVIII horas perdurabat omnesque deinceps breviores erant, ita ut postremo paroxysmus horae tempore pluries incederet. *Van Swielen* ²⁾ paroxysmos observabat III — IV minutorum, *Tissot* ³⁾ quatuor horarum, *Sawages* ⁴⁾ trium vel quatuor horarum, *Roederer* ⁵⁾

1) *Balding. neues Magazin. Bd. IX. p. 207.*

2) *l. c. §. 1039.* 3) *l. c.* 4) *l. c.* 5) *l. c.*

octo horarum, *Aetius* 1) observabat paroxysmum tres dies perdurantem, de quo autem *Tissot* putat, phrenitidem fuisse, quod aegrotus manus moverit.

Item apyrexia varium tempus durat; tum constantem esse videtur, ubi complicatio cum intermittente adest; e *Richteri* sententia apud feminas quoque constans est, apud quas cum menstruatione conjuncta incedit; tamen pro hac re nihil inveni; quare existimo, auctorem de imperfectis modo insultis loqui, in quos maxime *B. Osiander* 2) convertebat, et qui praesertim in filiabus pubertate incipiente occurrunt. In omnibus ceteris casibus apyrexiae tempus incertum erat, ita ut aut momenta modo, aut dies, aut menses perduraret.

Restat adhuc, ut de conditione aegrotorum apyrexia durante loquar. Multi autores tradunt, aegrotos extra paroxysmum bene se habuisse, quod optime inde elucet, quia de paroxysmo nihil suspicantes opus inchoatum continuabant. *Sachse* 3) immo de aegrota sua eam inter homines laetissimam fuisse, ita ut nemo aliquid morbi in ea suspicaretur, quin etiam uno quoque paene vespere saltasse eam narrat. *Tissot* quoque perfectam sanitatem memorat. *Richter* 4) erethismum nervorum et corporis debilitatem adfert, quae ego nusquam inveni. Ubi aegroti extra paroxysmum male se habebant, alii morbi caussae erant.

Catalepsis non est morbus, qui pro se ipse facile

1) De re medica, Lib. IV. c. 4. p. 101.

2) Denkwürdigkeiten. 1794. Bd. 1. p. 5.

3) l. c. 4) l. c.

mortem adducere posset, et ubi mors secuta est, descriptio anatomica tam manca fiebat, ut, quae inde secuta sunt, vix commemoratione digna videantur. Satis igitur habeo promere, quae apud auctores inveni; haec sunt: repletio sanguinis vasorum cerebri¹⁾, extravasatio sanguinis, exudatum serosum in ventriculis²⁾, indurationes variarum cerebri partium³⁾; tum multa alia vitia organica cerebri, nec non pulmonum, hepatis et maxime ovariorum. Illa verba *Andralis*⁴⁾ de morbis cerebrie hic quoque adhiberi possunt: „Zuweilen liefert die pathologische Anatomie gar keine Ergebnisse in Fällen, wo sehr beträchtliche Störungen der Funktionen des Nervensystems Statt gefunden hatten, oder es zeigt sich nur eine und dieselbe Abweichung, wo während des Lebens die verschiedensten Störungen wahrgenommen waren, oder endlich findet man sehr verschiedene Abweichungen, wo doch dieselben Symptome vorhanden gewesen waren.“

Variae catalepticos complicationes cum aliis quoque morbis afferuntur; symptomata cataleptica autem cum somnambulismo conjuncta maxime memoranda sunt, et saepissime occurrunt. *Pelletin* primus in hanc rem

1) *Hollerius* comment. in Hippokr. p. 66.

2) *Schenk*, de causis catalept. Lib. I. obs. I. 2. *Hollerius* l. c.

3) *Sprengel*, Handb. der Pathol. Bd. IV, p. 225. *Herr*, observ. obs. 3. p. 43.

4) *Grundr. der pathol. Anatomie*, übers. v. *Becker*. Bd. 2. p. 429.

animos convertebat duobus scriptis ¹⁾, eamque formam „cataleptic hystérique“ vocat. Observationes persuadebant ei, sensus impressionum percipiendarum non idoneos esse, motus conscientiamque specie tantum suppressos esse, sensusque externos vel omnes vel plures eorum translatos esse in scrobiculum cordis et in extremos digitos, membris plerumque propensis ad omnes acceptos situs retinendos. Praeter eum casum, de quo Petetin loquitur, *Dr. Renard* commentatione copiosa ²⁾ de tribus a se observatis casibus tradit; *Sachse* ³⁾ quoque casum exacte describit, similesque a *Wepfer* ⁴⁾ et a *Behrends* ⁵⁾ visi esse videntur. Omnes hi casus in eo consentiunt, omnis generis convulsiones, maxime opisthonomum, insultum praecessisse, vicesque variasse, ut in hysteria gradata occurrunt, aegrotas incedente paroxysmo non manere in iisdem sitibus, quos habuissent, sed collabi positionemque extensam excipere, eas impetu durante leves convulsiones pati, et postremo, sensibilitatem nonnullarum corporis partium imprimis scrobiculi cordis, extremorum digitorum apicisque narium abnorme auctam et deficiente conscientia phantasiam erectam esse, quae duo symptomata in vi magnetica animali inveniuntur.

1) Mémoire sur la découverte des phénomènes que présentent la catalepsie et le somnambulisme. Lyon, 1787.

Électricité animale prouvée par la découverte des phénomènes physiques et morales de la catalepsie hystérique etc. Paris et Lyon 1808.

2) Journal der prakt. Heilk. von Hufeland. Bd. XL. 3.

3) l. c. 4) pag. 564. 5) l. c.

In plurimis his casibus aegroti cantabant carmina, conditioni eorum accommodata vel carmina et apostolorum dicta pronunciabant, quae gestibus quoque aptis declamabant. Hic aegroti omnes feminae aetatis florentis, sine certa animi propensione erant. Menses autem apud omnes deficiebant. Aegrota a *Sachse*¹⁾ memorata valde irritabilis erat tactu metallorum, quae certo modo adhibita paroxysmo finem imponere poterunt, dum *Petetin* et *Renard* aegrotas suas adflando apicem narium mentis compotes reddebant. Non dubitaturus quae auctores ad hunc locum memorant, modo citavi eas non explicata; quamvis enim viri nominati se exacte observasse confirmant, tamen quantum morbo quantumque arti feminarum simulandi tribuendum sit, difficile discerneretur. Ceterum ille status non catalepsis est, ut facile ex symptomatibus ejus intelligi potest, sed hysteria gradata, in qua vis voluntatis ad o descendit, dum maxime gangliorum nervi partiumque centralium loci respondentes majorem vim exercent. Symptomata cataleptica hic nonnisi voluntatis vim extinctam sequuntur.

Ceterae complicationes nulli momenti sunt.

AETIOLOGIA.

Causae praedisponentes.

Quod primum ad aetatem pertinet, inter 30 casus, apud quos aetas annotabatur, tres tantum ante tempus pubertatis incidunt, 24 in tempus inde a pubertate

1) l. c.

incipiente usque ad tricesimum annum aetatis, unus inter annum tricesimum et quadragesimum duo inter quadragesimum et quinquagesimum annum.

Sexus muliebris plus quam virilis morbo obnoxius est, nam 36 casuum 26 ad s. muliebrem, 10 ad s. virilem pertinent.

Nullum munus vel genus vivendi hoc morbo libera esse videntur. Hebraeis neququam major opportunitas est morbi, ut *K. Sprengel* ¹⁾, *Dreyssig* ²⁾, *Baumgärtner* ³⁾ putant; ne unum quidem casum Hebraeco observatum inveni et *Jos. Frank* quoque, neque catalepsiam nec onaniam in Hebraeis saepius occurrere quam in Christianis consentit.

Juncti et non juncti matrimonio pari modo corripiuntur. Hereditarium morbum non esse videtur. Influentia telluris et cosmi non observabatur.

Maxime animus irritabilis et ad tristitiam inclinatus, superstitio, prava religio, sollicitudo, operaque animum intendentia praedisponunt.

Menstruatio anomala saepe antecedens observabatur; quatenus autem non ipsa causa fuerit, sed ex eadem causa, qua catalepsis, nata sit, singulis casibus difficile sit discretu. Idem de praecedente plethora sordibusque primarum viarum valet. Vermes passim observabantur.

Causae igitur praedisponentes nihil peculiaris

1) Handb. der Pathol. Bd. III. p. 223.

2) Handwörterb. der medec. Klinik. Bd. 2. Thl. 1. p. 51.

3) l. c.

habent, eadem enim sunt, quae in variis morbis systematis nervorum observabantur.

Caussae occasionales.

Si caussae morbi ab auctoribus traditae examinantur, paene omnes conditiones pathologicas caussas esse putares. Omnes saltem caussae, quae aliquem nervorum morbum efficere possunt, adferuntur, plerumque nullo veritati indicii argumento prolato, quod ex rationibus vel certis exemplis deductum esset. Non operis mei est, has omnes caussas examinare, eas tantum, quae in casibus a me collectis traduntur, enumerare et comparare non sine frustu sit ¹⁾. Quas omnes, quarum numerus quoque non parvus est, aptissime in physicas et psychicas dividere possumus.

Inter physicas, simulac pro certo habebimus, occurrere morbum saepius apud feminas, *suppressio et anomalia mensium* magni erunt momenti. Poni potest in hoc morbo non inter leviores memorando semper aliquam influentiam in illam sexus muliebris functionem cognosci posse, etsi ab auctoribus non in unoquoque casu adnotetur. Vice versa menstruatio quoque anomala seu suppressa catalepsin efficere posset; ut tamen factum recte cognoscamus, nunquam obliviscendum est, quantam vim ejus mali cognitionem habere in animum feminae, quam facile eo affectu capi possit, qui plerumque in catalepticis initium morbi

1) 30 casus inveni, quorum caussae adnotatae sunt. In quavis caussa per paranthesein numerum casuum, quibus traduntur, proponam, ut quam maxime accurate argumentetur.

est. Utrumque autem uno eodemque animi affectu nasci posse, pauci tantum medici addubitent. Quodcunque demum sit, in omnibus casibus (VII), qui hic pertinent, cum menstruatione anomala vel sollicitudo vel indignatio vim exercebant ¹⁾. Hanc igitur causam inter remotiores potius numerare libet. —

Plethora (IV) ²⁾ eo maxime causam esse putatur, quod pluries, forti epistaxi facta restitutio secuta est. Crisem esse putabant. Ut omittam hoc loco naturam criseon, adnotare tamen libet, fieri potuisse, ut in iis casibus sensorio quiescente venae capitis sanguine refertae soluto impetu illo modo exonerationem quaesiverint.

Helminthiasis (V) ³⁾. De qua *Van Swieten* haec: quadraginta annorum mulierem, dum castaneas coqueret, repente catalepsi comprehensam, sed ejectis vermibus quibusdam vivis restitutam, opus continuasse suum, eorum, quae ipsi acciderint, prorsus insciam. De relatione hujus causae ad catalepsin non plus dici potest, quam de relatione ad alios morbos systematis nervorum, maxime ad epilepsiam.

Obstructio alvi vitaeque sedentaria sine exemplo confirmante ab auctoribus accusantur. **Ovariorum**

1) Fitzpatrick, in Richter's chirurg. Biblioth. Bd. IX, p. 674. De la Mettrie, Reynell, Sauvages, Schraff, Renard. Hufeland's Journ. der prakt. Heilk. Juny, 1815. p. 52 u. 62.

2) Aetius l. c. Hellwig, observat. medic. Obs. 59. p. 9. Renard, l. c. p. 84. Schenk, l. c.

3) Marcellus Donatus, Lib. II, c. 7. Sauvages, Schenk, l. cit. Van Swieten, l. c. Tom. III., p. 140. Selle, medecina clinica, Berlin, 1784. p. 363.

morbi inprimis a *Renardo* 1), ut frequentissima causarum proferentur, exemplumque ab eo citatum pro sententia ejus loqui putat. Tradit enim in muliere, febre nervosa affecta, catalepsin observasse et post mortem ejus suppurationem ovarii dextri et exudationem laevi invenisse, quae signa jure ei ovaritidem praecedentem indicabant. Ut omittam conscientiam perfectam hujus aegrotae et complicationem cum hysterismo ab eo concessam, a melioribus certe observatoribus credo symptomata ovaritidis catalepsi praecedentia conspecta esse possint.

Schrödter 2) coitum paullo post partum editum causam commemorat, *Jos. Franck* 3), studiosum juris onania catalepticum factum esse tradit. Alia exempla ex frequentiori veneris usu invenire non potui.

Intermittentes quoque causae adferuntur 4), iis nempe casibus, quibus paroxysmi febris intermittens non repetebantur, postquam insultus catalepticus quem dicunt inciderat. Quatenus autem hic catalepsis vera affuerit, ipsa autorum verba demonstrant. *Klaunig* de viro, circa XL annorum, intermittente tertiana laborasse dicit, quam maligna continua secuta est, quae postea haec prae se tulit: „Expansit enim brachiis et cruribus quasi fulmine tactus an gelu rigidus sine omni sensu et motu, situ supino jacens in lecto conspiciebatur, ore firmiter clauso oculis apertis pariterque immotis.“ *Bartholini* 5) narrat: „Cerevisiarum uxor diu ex pulmone laborans in febrem incidit

1) l. c. pag. 98. 2) l. c. 3) l. c. 4) *Klaunig*, l. c.

5) *Bartholin*, acta medica et philos. Hafniens. p. 85.

»quotidianam, in qua immensam pituitae molem ore
 »profusit, quam priusquam evomisset totam, per
 »biduum in habitum statuæ mercurialis dirigit, motu
 »omni, præterquam oris privata.«

Vulnerationes capitis vitiaque organica cerebri, quatenus sensibus nostris percipi possunt, vix causæ fieri possint; *Forestus* ¹⁾ huic causæ argumentum afferre putat, acerrimos dolores occipitis affuisse memorans. *Schraff* ²⁾ tradit de adolescente XXV annorum, vino non assueto, qui fortiore supra modum usus erat, eum in catalepsiam XII horarum incidisse, quam febris synocha VIII dierum exceperit. Si hæc catalepsis fuisset, tum mehercule dissertatio mea copiosior facta esset.

Merito *hysteria* a physicis ad plane psychicas causas transitum facit. Qua causa illa species nascitur, cujus plures casus *Renard* ³⁾ commemorat. Apud *Sachse* ⁴⁾ et *Marx* ⁵⁾ quoque exempla præcedentis hysteriæ sunt.

Cataleptis, quam *Jos. Franck* ⁶⁾ observabit, post diuturnum gravemque morbum sine dubio ex animi affectu aegrotam sollicitante orta erat.

Psychicarum causarum sine dubio sollicitudo et tristitia (XIV) ⁷⁾ maxime occurrunt. *Tissot* jam hanc causam frequentissimam nominat et *Schomburg*: »nec

1) Obsv. Lib. X. 41. 2) I. c. 3) I. c. 4) I. c.

5) De spasmis. §. 61. Halæ, 1765. 6) I. c.

7) Alt. Schmid's Jahrbücher, Leipz. 1835. (2 casus), Dreysig, Marcellus Donatus, Jos. Franck, Marx, Reynell, Sachse, Selle, Tissot, Waldeck, Wedelius, loc. cit. auct.

„abludit catalepsis a melancholia“ dicit. Adspiciamus animum sollicitudine oppressum, ut cogitationes arctae sunt, ut libera voluntas remittit, ut memoria ipsa minimo praesentis et perfecti temporis movetur, et intelligemus, parvum impulsum sensorii functiones tollere. Cujus generis exemplum cum initio memora- verim, nunc historiam a Marcello Donato traditam, minus hic spectantem adferam. Vir XXX annorum, omnibus ante vitiis imbutus, quadragesimae tempore acri orationi sacrae interfuit, conscientiaeque multo- rum vitiorum suorum, correptus est, ut in limine catalepsi opprimeretur. Quum ad se reversus esset, tristis sollicitusque manebat et post paucos dies in maniam incidit.

Hic quoque pertinet *amor repulsus* (II) ¹⁾. In ambobus casibus impetus nonnisi tamdiu duravit, quam adolescentibus eos votis compotes facturos cu- pitasque amicas habituros esse acclamatum est. Sci- licet quaeri potest, num exempla quae enumeravi, ad catalepsin pertineant, quum uterque aegrotus, morbi caussa sublata, ad valetudinem rediret. Non discernam; lectorem tamen neminisse velim facti illius, ut, si aliquis ante τῶν subitum ire certa hora exper- gisci consilium capit, certo praedefinita hora audita expergiscatur, quum horologii sonus usque ad id tempus cum effugeret.

Rondoletius ²⁾ exemplum affert, quo aversatio in hominem quendam maxima erat caussa: „Puella, annos

1) Tulpius. Schilling, 1. citt.

2) Meth. curand. morb. Lib. I. cap. 20. p. 98.

»quindecim nata nupserat juveni cuidam, quem parum
 »amabat; cum eo vixit tantum octo dies, antequam
 »corriperetur hoc morbo prae moerore, quando de
 »marito cogitaret vel audiret, aut ad illam maritus
 »veniret etiam nescientem (?), priusquam illum videret
 »aut audiret etc.«

Si omnino aliquis alicui rei inprimisque rebus sa-
 cris tractandis penitus se dat, catalepticus fieri potest
 (III) ¹⁾. Quare Jos. Franck, ipse in Italia a monacho
 cataleptico consultus, catalepsin maxime apud clericos
 occurrere tradit ²⁾.

Indignatio et ira (IV) ³⁾ in duobus casibus suppres-
 sione mensium conjuncta. Exemplum maxime insigne
 puellae illius, quae indignabunda de absumpta esca in
 catalepsin incidit, supra adnotavimus ⁴⁾.

Terror (IV). Tres casus ad viros pertinebant. Ae-
 grotus, de quo in *Act. Paris.* traditur, faber lignarius
 erat, qui, quum alium a se verberatum mortuum esse
 audivisset, illico catalepticus factus est. *Marx* de fa-
 mulo narrat, qui domu ardente domini subito adspecta
 catalepsi correptus est. *Herzog* de filio tradit, qui cum
 condiscipulis suis lectionem alta voce recitabat et a
 patre conterrebatur, qui indignabundus de tumultu
 manu in mensam pulsans minitabat, nisi tacerent, se...

Intentiones ingenii (III) caussae quoque morbi ob-
 servabantur; immo et occupatio cum certis rebus me-

1) Fonestus. observ. Tom. 1, obs. 42. De Haen, l. c. Hoff-
 manu, medic. ration. syst. Tom. IV. P. III. p. 116.

2) l. c. 3) Verhand. d. kaiserl. Acad. Sauvages l. c. Renard
 l. c. pag. 52 u. 62. 4) pag. 00.

moratur, ut *Wepfer* de adolescente narrat, qui quoties versus componeret aut mathematica tractaret, catalepticus fiebat.

Caussa proxima.

Sensorium commune paene omnes veteres et recentiores auctores una voce sedem morbi nominant, id ergo organon, quod „solium mentis“ vel officinam omnium functionum animi statuebant. Plurimis veterum id glandulam pinealem esse placet, cui diversos morbos adfingebant, ut illum „affectum rarissimum mirandumque“ explicarent. *Boerhave* ¹⁾ dicit: „prima „caussa est immobilitas sensorii communis prout primo „momento insultus se habebat, ergo sanguinis cerebrosi, glandularum cerebri, emissarium ejus absoluta „quies ut ab initio.“ Haec immobilitas a quodam catarrho glandulae pinealis ²⁾, a humore quodam circa sensorium commune stagnante illudque vel comprimente vel obstruente ³⁾ deducitur, vel certa caussa carens fingitur ⁴⁾, vel in epilepsia propria gl. pin. ⁵⁾, vel in accumulatione cujusdam aerae oxygenae in organo animalis motus quaeritur ⁶⁾. Alii causam proximam in congelatione spirituum animalium ⁷⁾, in obstaculo, quominus nervorum fluidum in nervos affectos

1) l. c.

2) B. Albinus, disp. inaug. de catal. Lugd. Batav. 1676.

3) Schrödter l. c.

4) M. Cloothack, disp. med. inaug. de catal. Lugd. Bat. 1687.

5) J. Roeser, diss. de catal. Rinthel. 1692.

6) Aekermann, de constr., cognosc. et curand. febrib. p. 147.

7) Sennertus, Schilling l. c.

influeret ¹⁾, in compressione originum nervorum vasis sanguine refertis ²⁾, in spasmo radicum nervorum sensibilibus, quo decursus spirituum animalium impeditur³⁾, ponebant. Wallenburg ⁴⁾ ac Ed. Walther ⁵⁾ (Naturphilosophen) dicunt: „In der Catalepsie tritt das Licht „in der Bewegung hervor,“ et Richter ⁶⁾ quaerit: „Sollte vielleicht in der Starrsucht die Einwirkung „nach Aussen gehn, nicht innerhalb der Gränzen des „Organismus bleiben, diesen gleichsam verlassen und „sich in unendlichen Räumen verlieren? Wirklich „scheinen Cataleptische völlig unbeseelt etc.“

Non operae pretium est, has opiniones examinari, quibus hoc physiologiae statu nulla auctoritas tribui potest. Uni illi tamen sententiae, catalesin spasmus universalem tonicum esse, repugnabo. Spasmus enim seu Hyperkinesis cogitari non potest nisi actione musculorum aucta, quam semper fatigatio sequitur, quae autem post paroxysmum catalepticum nunquam adest.

Physiologia et nosologia generali nitentes has sententias proferre possumus:

1. *Sedes morbi systema nervorum est.*
2. *Pars aegra organorum centralium est, secundum legem, ut, quo plures nervorum affecti sint, eo propius sedes morbi organis centralibus jaceat.*
3. *Sphaera motoria non primaria afficitur.*

1) Fr. Home, princip. medec. Ed. 4. Amsterd. p. 232.

2) Gundramm, diss. de catal. Helmst. 1676. Schraff, l. c. al.

3) Fr. Hoffmann l. c.

4) Salz. med. chir. Zeitg. 1809. Dec.

5) Physiol. und Nosol. nebst einem Anhang etc. Leipz. 1810.

6) l. c.

- a. Si nervi musculorum supra modum agunt, adest spasmus, quem fatigatio excipere debet.
- b. Comminutae actioni relaxatio plane deficiens contradicit.
- c. In musculis quoque voluntati subjectis musculo aliquo mechanice extenso contractio antagonistorum fit.
- d. Musc. voluntati non subjecti intra paroxysmum ut extra cum vim suam continuant.
- e. Sphincteres clausi sunt.

4. *Sphaeram sensitivam primariam affectam esse non videtur.* Deficientibus omnibus signis objectivis nihil certi statui potest. Anaesthesia enim universalis esse deberet, quod paroxysmo subito incedente et cessante cogitari non potest. In epilepsia prodromi adsunt; tamen hac ratione catalepsiae simillimam esse videtur.

Signa objectiva anaesthesiae cutaneae, calor animalis comminutus et impossibilitas conservandi calorem proprium ab temperatura externa in catalepsi deficiunt.

Item deficiunt signa unica objectiva anaesthesiae aliorum sensuum, trophica nempe vel irradiationis.

Post longiorem quietem seu otium alicujus sensus eo irritabilior fit; cujus rei nihil apud auctores invenimus, ex narrationibusque eorum nunquam irritabilitatem auctam esse potius eluceret.

5. *Functiones sensorii primariae sublatae sunt.* Comprobant haec:

- a. Quae Nr. 3 et 4 diximus.
- b. Causae, quae majore parte in psychen vim exercent.

- c. Leviores status, qui peculiaribus psyches conditionibus nituntur.
- d. Insultus incedit et cessat subito.
- e. Aegroti paroxysmi ipsius in eoque actorum plane inscii sunt.

Vis percipiendi et voluntas primariae affectae sunt.

Quo sumto omnia paene symptomata catalepseos explicari possunt. Quarum functionibus sublatis conscientia quoque et vis cogitandi non agunt. Item sunt caussae conjungentes motus voluntarios et sensus, qui cognosci possunt; igitur neque irritamenta nervorum sensuum motus respondentes, neque motum sensus sequi potest, etiamsi energemata nervorum sensuum et motus secundum naturam agant.

Defectus omnis motus reflexi his, quae dixi, minime consentire videtur; lex enim valet, ut, quo minorem vim voluntas in nervos musculorum exerceat, eo potius motus reflexi fiant. Cur non in catalepsi omni voluntate sublata? Motus reflexi sine dubio similiter fiunt, ut voluntarii; et caussae conjungentes quoque egebunt (*Budge*¹⁾ eas „äussern Sinn“ vocat). Quae infimo quoque gradu functionum suarum erunt paroxysmo cataleptico durante, qua re certo possibilitas motus reflexi tollitur. Sine dubio illis duobus causis conjungentibus eadem origo corporea est; quae quidem sit, non discernam, tamen substantia cinerea medullae oblongatae et cerebri maxime valeant.

Cetera motus symptomata in permansione Toni

1) Unters. über das Nervensyst. 1stes Heft. Frankfurt am Main. 1841.

nituntur, cujus officina in medulla spinali quaeritur, fortasse quoque in substantia ejus cinerea.

Alii motus minoris momenti sunt.

Jam lectorem rogo, ut de ceteris, quae hic pertinent, scriptores saepe laudatos adeat.

THESES DEFENDENDAE.

1. Medicus ipse remedium.
 2. Convulsiones in encephalite bonum signum.
 3. Sine anamnesi non est certa diagnosis phthiseos tuberculosae pulmonum.
 4. Hysteria et Hypochondria nunquam sunt analogae.
 5. Dissectio tendinum talipedibus optime medetur.
 6. In coremorphosi Iridectomedialysis optima est methodus.
 7. Non sunt certa signa, foetum in utero esse mortuum.
 8. Lupanaria publica parum prosunt.
-

... eius in ...
... in ...
... in ...
... in ...

THESE DEPTERIDIA

1. Medicus ipse reus est.
2. Conditio in ...
3. ...
4. ...
5. ...
6. ...
7. ...
8. ...